



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

3. Occulta patefiunt aut citius.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

tes exemplo faxeo, ut perinde caveant labi & errare linguâ quàm pedibus.

III. (c) Tertius in hoc figmento morali institutioni locus est: Ne quis putet sua vitia & peccata, perpetua nocte sepelienda, etsi aliquantisper occultet; nam juxta conculcatum versiculum:

Quidquid nix celat, solis calor omne revelat. Nihil est enim tam abditum, & tam abstrusum, quod non vel proferat ætas, vel manifestent libri. Quid enim aliud per arundines loquaces, quàm scriptorum calami designantur, qui vitia, quamlibet occulta, non sinunt in umbra latere? Ubi iterum sibi caveant, qui quò sublimiores sunt, tantò conspectius, suo tempore, crimen habent. De Davide ex sacra Historia constat, quid ei, post alienum thorum, occultè, ut credebat, violatum, in faciem ingesserit *Nathan* Propheta: *Tu enim fecisti abscondire: ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israël, & in conspectu Solis* 2. Reg. 12. Publica scilicet pœna sceleris, inflicta per *Abfalonem* incestum, ostendit crimen, quod patraverat parens. De *C. Julio Cæsare* scribitur, eum calvitio suo celando, gestare coronam lauream solitum fuisse. Sed nimirum arundines scriptoriæ produnt magnorum etiam capitum seu deliria, seu flagitia. Sic (ut aliquid in gratiam eruditionis delibem) ex *Suetonij Tranquilli* calamo habemus, *Caligulam* Imp. Rom. capillamento & veste longiore, celatum, noctibus ganeas perreptasse; pulchros & comatos, quoties sibi occurrerent, occipitiô rasô deturpasse; equo suo, cui nomen *Incitato*, præsepe eburneum instruxisse, consulatum quoque destinasse. Contrectandæ pecuniæ cupidine flagrantem, sæpè super immensos aureorum acervos aut nudis pedibus spatiatum, aut toto corpore volutatum fuisse. *Vitellium* abdomini natum, patinam, cui fornax in campo ædificanda erat, dedicasse, eamque ob immensam magnitudinem *clypeum Minervæ* appellasse. Ex *Quinto Curtio Rufo* intelligimus, *Alexandrum* illum *Magnum* *Persopolin* urbem *Persæ* nobilissimam in gratiam vilissimi scorti incendisse; ipsumque *Babylone* in potatorum certamine extinctum fuisse. Hæc aliaque coronatorum capitum olim commissa dedecora, quis sciret, nisi scribentium arundines ea prodidissent? Aded nihil est tam profundè in antiquitate, & abdita scelerum fovea defossum, quod non eruatur per calamos, & propaleatur in orbe. Huc facit *Satyricus*:

(c) Occulta revelantur.

C §

O Cory,

O Corydon, Corydon secretum divitis ullum  
 Esse putas? servi ut taceant, jumenta loquentur,  
 Et canes, & postes, & marmora claude fenestras,  
 Vela tegant rimas, junge ostia tollito lumen  
 E medio; clament omnes.

## SYMBOLUM VI.

Prometheus ἀνδρῶν πεπλάσθης, seu formator  
 hominis.

*Ovid Metamorph. 1. Horat. lib. 1. Od. 3. Hesiodus, alij.*

## Ethica.

1. Hominis indoles. 2. Quinam meliore de luto ficti. 3. Pe-  
 ctus hominis vivarium ferarum. 4. Hominis nobilitas. 5.  
 Sciendi curiositas.

**I**Apetus procerissimæ staturæ gigas, natione Thessalus, Atlantesq, E-  
 pimeum, & Prometheum suscepit; hic Deucalionem genuit, de  
 quo infra Primus hominem è luto finxisse fingitur Prometheus, felici  
 adeo successu, ut ipsius solertiam admirata Minerva, obtulerit ultrò, si-  
 quid ad sui absolutionem operis desideraret eorum, quæ in cælo sunt.  
 Cui Prometheus, negat se posse dicere, quid sibi ex ijs foret utile, quæ  
 nunquam usurpasset oculis. Itaque Minerva auxilio in cælum evehi-  
 tur: omnia ibi curiosè circumlustrat; ad solem ipsum defertur; adver-  
 tit ignem in illo purissimum splendescere. & quoniam homo ab ipso ef-  
 fictus, adhuc insensibilis erat statua, & nullo motu prædita, existimavit  
 simulacro suo animando convenientissimum esse vigorem illum igneum,  
 quem in sole contemplatur. Ferulam igitur corripit, solari rotæ admo-  
 vet, flammam rapit, eamque in terras delatam, ubi luteæ imagini inse-  
 ruit, cœpit illa protinus se movere, & ipsum artificem stupore defigere.  
 Gravissimè tulit id furtum Jupiter, ideoque generis omnis pestes in or-  
 bem immisit, uti testatur Venusinus l. c.

Audax Japeti genus

Ignem fraude mala gentibus intulit.

Post ignem aethera domo

Sub-